ARISTOTELES LATINUS. BOETHIUS
12. Jh. Seite 18r
Quelle: https://manuscripta.at/?ID=874
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift



tiis disiunguntur atq; informantur. differentie q; diuersarum specierum
discrepabunt. Animal namq; et scientia quoniam est animal substantia
scientia uero ad aliquid. Quoniamq; genus animalis est substantia et genus scientie
est ad aliquid. omni substantie a se ratione discrete sunt. et differentie q;
scientie atq; animalis omnibus qualitatibus disiunguntur. Et namq; diffe-
rentia animalis bipes et quadrupes. Animal enim ab alio animali dif-
fert quod hoc quidem bipes sit ut homo uel auis. Illud uero quadrupes ut equus
atq; bos. Illud uero multipes. ut formica uel apis. Sed scientia differentias
generis huiusmodi non habet. Neq; enim scientia a scientia differt in eo quod bi-
pes est. Quare constat quotiens diuersa sunt genera specierum q; differenti-
as esse discretas. atq; hoc est quod ait. Diuersorum generum et non subalternatim
positorum diuersas secundum speciem differentias esse. Et hoc exempli ad-
iectione firmauit. dicens animalis et scientie diuersas esse diffe-
rentias. Nam cum sit bipes animalis differentia scientie non est. Et
hoc quidem de diuersis generibus dictum est. id est que subalterna non sunt.
Quod si subalterna sint genera nichil prohibet alias easdem esse differentias
alias diuersas. ut auis est species animalis. et rursus est genus corui.
et est subalternum id genus auis. Sed animalis differentie sunt. rationa-
lis scilicet et irrationalis. Auis uero differentia rationalis non est. Nulla enim
auis ab alia aui differt quod sit rationalis. Ergo hoc loco non sunt eedem
subalternorum generum differentie. Si quis uero has generis idem animalis dif-
ferentias dicat. ut animalium alia sunt que pascuntur herbis. alia
que seminibus; alia que carnibus;. Ne differentie conueniunt in subal-
terno genere. scilicet in aui. Namq; auium sunt alia que seminibus; ues-
cuntur alia que herbis. alia uero que carnibus; ut uultur. uel miluus. Ergo
in subalternis generibus nichil prohibet easdem esse differentias et iterum
discrepare. Hoc autem iccirco euenit quia que de predicato dicuntur. possunt
de subiecto predicari. Quare quod dicitur de genere potest esse de specie atq;
hoc est quod ait.

Subalternorum uero
generum nichil prohibet easdem esse differentias. Superiora enim de sub-
terioribus generibus predicantur. Sed cum diceret nichil prohibet easdem esse dif-
ferentias. hoc quodammodo uoluit demonstrare. esse quasdam easdem diffe-
rentias. alias uero posse esse diuersas. Cui rem contrariam intulisse uidetur